



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XXI. De bigamis non ordinandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ordines suscipiendos primò ad illos etiam, qui sibi ipsis membrum aliquod, aut partem membri culpabiliter absciderunt, aut abscindi fecerunt, etiamsi talis abscissio occulta tantùm sit, & nullam aliam deformitatem, aut impedimentum ordinis afferat, ob crudelitatem scilicet in se ipsum exercitam, prout colligitur ex c. 3. & 4. h. t. & cum homo non sit dominus suorum membrorum, consequenter ex nulla causa, nisi totius individui conservatio à tali abscissione pendeat, se ipsum mutilare potest. Secundo extenditur ad inhabilitatem ex certis quibusdam morbis proventientem, qui inferunt debilita-

tem virium corporis, aut horrorem & deformitatem moraliter incurabilem; & hinc ex variis sententiis variorum ordinari non possunt leprosi, paralytici, phrenetici, amentes, lunatici, energumeni, sive à dæmone obsessi, morbo caduco laborantes &c. quorum aliqui ordinati non debent, etiamsi à tali morbo liberati videantur, quia vix unquam plene sani creduntur: qua tamen in re multum poterit Episcopi iudicium, non quidem dispensando, quòd soli Pontifici in hac juris communis irregularitate conceditur, sed declarando, defectum aut morbum talem ordini suscipiendo non obesse.

## T I T U L U S X X I .

### DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

**B**igamos non esse ordinandos sine dispensatione à Pontifice obtentâ, certissimi juris est; non quidem, quòd bigamia sit peccatum aliquod, sed quòd illi, qui bigamiam contrahunt, deficient à perfecta significatione Sacramenti matrimonii, unam Christi cum Ecclesia conjunctionem significantis, ad quod melius intelligendum, sit

#### §. I.

*Quid, & quotuplex sit bigamia?*

**B**igamia est irregularitas proventiens ex defectu significationis sacramenti matrimonii; cum enim sacramentum matrimonii significet ex institutione Christi arctissimam conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem,

hæc autem unica fuerit, unius scilicet Christi cum sponsa unica, eaque virgine Ecclesia, bigamus autem ille sit, qui cum duabus successivè contrahit, & consummat matrimonium, vel cum vidua, aut non virgine ab alio jam corrupta, consequenter deficit talis in contrahendo matrimonio à perfecta significatione sacramenti matrimonii. Est autem triplex bigamia, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est, cum quis successivè cum duabus uxoribus matrimonium verè & validè contraxit (Latine enim bigamus id dicit, quod bis conjugatus) & utrumque consummavit (matrimonium enim consummatum requiritur ad perfectam arctissimæ conjunctionis Christi cum Ecclesia significationem) sive dein

ante



ante Baptismum, sive post, utrumque hoc matrimonium, sive unum ante, alterum post Baptismum contraxerit: & hinc bigamus propriè in ordine ad hunc titulum non est, qui cum duabus quidem successivè contraxit, cum neutra tamen, vel certè cum alterutra earum, matrimonium non consummavit; neque bigamus propriè censendus est, qui cum pluribus meretricibus fornicatus est, aut plures concubinas habuit, aut plura sponsalia contraxit, cum in illo casu non significetur certissima conjunctio, in his verò nullum sit contractum, aut affectu maritali attentatum matrimonium, quòd tamen ad incurrendam hujus tituli inhabilitatem requiritur. Interpretativa bigamia est, quæ secundum juris interpretationem & fictionem bigamia dicitur, quando quis scilicet matrimonium contrahit & consummat cum vidua, à priore marito jam cognita, vel cum alia nunquam quidem conjugata, ab alio tamen extra matrimonium corrupta, sive vir sciverit esse viduam, vel aliter ab alio corruptam, quam duxit, sive ignoraverit; & sive mulier volens, sive per vim corrupta fuerit ab alio, vel quam Virginem quidem duxit, cognovit tamen etiam carnaliter, postquam illa adulterium cum alio commisit; vel si Clericus aut Laicus post primam suam conjugem maritaliter cognitam, invalidè postmodum duxit aliam, affectu tamen maritali eam cognovit, quo in utroque casu vera quidem bigamia non est, cum alterutrum, vel etiam utrumque matrimonium nullum sit, & consequenter non detur defectus significationis perfectæ matrimonij; quasi bigamus tamen taliter

contrahens habetur, ob affectatam culpabiliter conjunctionem maritalem, & copulam ex tali affectu habitam, ut loquitur Pontifex in *c. nuper 4. h. t.* Similitudinaria denique bigamia est, quando Clericus in Sacris constitutus, vel Religionem professus, viduam, aut virginem de facto tantum, cum de jure non possit, in conjugem ducit, & maritaliter cognoscit; quamvis enim nullam sit hujus matrimonium ob impedimentum dirimens voti, aut ordinis, haberi tamen debet tanquam bigamus propter pravam intentionem matrimonij contrahendi, cum opere carnali subsecuto, prout statutum habetur in *c. à nobis 7. h. t.* & propter duplex quasi matrimonium contractum, spirituale scilicet & carnale: quotquot enim virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contempta, inter bigamos, id est, eos, qui ad secundas nuptias transferunt, haberi debent, prout dicitur in *can. quotquot 24. causa 27. quest. 1.*

## §. II.

*De effectibus, ac pœnis bigamiae, & ejus dispensatione.*

**B**igami non solum excluduntur à suspensione Ordinum, ut dictum, sed si post contractam bigamiam illegitimè ordinati sunt, validè quidem ordinati sunt (cæteris paribus) privati tamen sunt usu, & executione omnium Ordinum, *c. 2. §. 3. h. t.* ita ut hæc irregularitas sive inhabilitas semel incurfa, per mortem v. g. uxoris, ratione cujus contracta fuit bigamia, non tollatur, & si in minoribus constituti sæculares Clerici bigamiam contraxerint, omni privilegio

R 3

Cleri-



Clericali nudati, & ipso facto privati sint, & nec tonsuram, nec habitum Clericalem, sub pœna ferendæ excommunicationis, deferre possint, *c. uni. b. t. in 6.* cum in tali casu non remaneant personæ Ecclesiasticæ, sed Laici sicut, quod de illis, qui in sacris constituti bigamiam contrahunt, dici non potest. Ordinatos vero bigamorum, si scienter bigamos ordinaverunt, potestate & officio conferendi Ordines, quos bigamis contulerunt, sunt privandi, prout colligitur ex *c. super eo 2. b. t.*

Potest autem Summus Pontifex in omni bigamia, & quoad omnes Ordines ac dignitates Ecclesiasticas dispensare, cum hoc impedimentum bigamiæ non sit introductum jure Divino, sed tantum jure Ecclesiastico: & quamvis Apostolus Paulus videatur hoc jus introduxisse, statuit tamen hoc non auctoritate Divinâ, sed præcisè ut Episcopus. V. g. conferendo legem Ecclesiasticam, in qua Pontifex dispensare potest, non quidem qualibet de causa, cum tali constitutioni

Apostolicæ major debeat reverentia, & propterea in *c. 2. b. t.* dicatur, non licere (id est de facili) cum bigamis dispensare, sed ex causa valde gravi. Episcopi autem in bigamia quidem similitudinaria etiam ad altiores Ordines dispensare possunt, si bigamiales pœnitentiam egerint, & laudabilem postmodum vitam duxerint, uti sumitur ex *c. 1. & 4. de Cler. conjug. junct. Gloss. V. ex indulgentia*, præsertim si religionem ingredi velint. *c. 2. junct. Gloss. V. castitatem de Cler. conjug.* non possunt tamen, nec ad minores Ordines, aut primam tonsuram, vel beneficium simplex dispensare cum veris aut interpretativis bigamis, prout etiam declarasse dicitur S. Congregatio Concil. cum nulli legatur, hæc quoad bigamos tales, concessa Episcopis dispensandi licentia: & quamvis Prælati regularibus propter specialia privilegia multa sæpius dispensandi cum suis Regularibus potestas concedatur, ordinariè tamen excipitur impedimentum bigamiæ.

## TITVLVS XXII

### DE CLERICIS PEREGRINIS.

**P**eregrinorum Clericorum nomine illi intelliguntur in *b. t.* qui extra suas dioceses nonnunquam peregrinantur, aut vagantur, & horum locorum ordinariis plerumque ignoti sunt: de his, utrum ad ministrandum in Ordinibus admittendi sint, plura quidem in prioribus tribus hujus tituli *c. c.* statuuntur,

quorum aliqua nullius amplius usus sunt, observandum tamen hodie circa illos, quæ breviter à Trident. statuuntur *sess. 23. c. 16. de reform.* ut sine commendatiis aut testimonialibus sui ordinarij litteris, quibus de Ordinibus susceptis testimonium feratur (quæ litteræ communiter *Formata* dicuntur) & de motibus,